



## Universitätsbibliothek Paderborn

### Medvlla Theologica

Ex Sacris Scriptvris, Conciliorvm Pontificvmqve Decretis, Et Sanctorvm Patrvm Ac Doctorum Placitis Expressa ; In qua, quidquid tum ad fidei mysteria sanè ac rectè intelligenda, & ab erroribus quibusvis secernenda, tum ad sacramenta debitè conficienda & ministranda, tum ad actiones humanas iuxta ...

Complectens ea quæ ad Sacramenta & mores pertinent

**Abelly, Louis**

**Coloniæ Agrippinæ, 1659**

Capvt VII. De Sacramento Ordinis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38979**

## CAPUT VII.

## De Sacramento Ordinis.

## SECTIO I.

## Vtrum Ordo sit Sacramentum.

**N**OMEN Ordinis, quod ex se latissimam habet significationem, ab Ecclesia usurpatum est, ut observat Catech. Rom. ) tum ad designandum Ecclesiasticæ Hierarchiæ statum, in qua reperiuntur varii ministrorum superiorum, & inferiorum gradus optimè dispositi, ad ea perficienda, quæ cultum divinum, præsertimque sanctissimum Dominici corporis sacrificium spectant: tum ad significandum ritum illum Sacrum, quo quisque ministrorum illorum solemnè, religione consecratur, ac divino cultui sacrisque altaribus mancipatur: in quo posteriori sensu de illo quaeritur utrum sit Sacramentum. Quæ quidem quaestio dupliciter intelligi potest. Primò in genere; utrum in Ecclesia sit Sacramentum Ordinis: secundò in particulari; utrum quilibet Ordinum Ecclesiasticorum sit Sacramentum. Pro cuius resolutione.

Dicendum 1. Ordinem esse Sacramentum novæ legis à Christo Domino institutum. Hanc veritatem, quæ de fide est, negaverunt olim Messaliani, ut refert Coccius tom. 2. lib. 8. art. 1. & hodie similiter negant Lutherani, & Calvinistæ, quorum error refellitur, & veritas nostræ fidei probatur.

Primò ex Apostolo 2. ad Timoth. 1. *Admoneo te, ut resuscites gratiam Dei, quæ est in te per impositionem manuum mearum*: ex quo loco, ubi loquitur Apostolus de sacra Ordinatione



tionem ipsius Timothei, habetur ritus aliquis sensibilis collatio gratiæ per hunc ritum; unde sequitur veramtionem Sacramenti in sacra Ordinatione reperiri.

Secundo ex Conc. Chalced. can. 2. ubi damnantur qui pecunias pro Ordinatione suscipiunt, eò quòd gratiam Dei vendere censeantur, quæ tamen vendi nec debet nec potest: & ex Conc. Trid. sess. 23. cap. 3. his verbis: *Scriptura & testimonio, Apostolica traditione, & Patrum consensu conspicuum sit, per sacram Ordinationem, quæ signis exterioribus perficitur, gratiam conferri; debet nemo debet, Ordinem esse verè & propriè unum ex septem sacra-  
Ecclesia Sacramentis*

Tertio ex S. Leone Epist. 87. ad Episcopos Mauritaniam cap. 1. ubi postquam dixit, Ordinem Sacerdotij non bene probatis, & exercitatis esse conferendum, subiungit: *Quis dissimulare audeat, quod in tanti Sacramenti perpetuam injuriam? si nimirum indignus ordinetur: & S. Ambrosius de dign. Sacerd. cap. 5. Quis dat Episcopalem gratiam? an homo? Respondes, sine dubio Deus: sed per hominem datus: homo imponit manus, Deus largitur gratiam.*

Dicendum 2. non modò Ordinem in genere, sed et in particulari unumquemque Ordinem Ecclesiasticum esse Sacramentum Antequam hæc assertio probetur, ponendum est septem esse Ordines: tres qui dicuntur majores, scilicet Presbyteratum, Diaconatum, & Subdiaconatum; quatuor verò minores, nimirum Ordinem Acolytorum, Exorcistarum, Lectorum, & Ostiariorum. Quod constat ex variis Conciliis septem illos Ordines enumerantibus; ut ex Conc. Rom. sub. S. Sylv. cap. 4. Cartagin. 4. cap. 2. Florent. in decret. Eug. & Trid. sess. 23. cap. 2. ubi pressè dicitur, non solum nomina illorum Ordinum, sed etiam singulorum propria ministeria fuisse in usu ab Ecclesiæ initio. Item ex Epist. Cornelii Papæ ad Fabianum Episcopum Antiochenum, in qua totius Cleri Romani enumerationem faciens dicit, *In Ecclesia Catholica (id est Romana) Presbyteros esse quadraginta sex, Diaconos septem, Subdiaconos septem, Acolyths quadraginta duos, Exorcistas*



*Leitores, unà cum Oſtariis, quinquaginta duos.*

Hoc præſuppoſito, probatur aſſertio primò de illis omnibus Ordinibus in genere, ex eo, quòd poſtquam Conc. Trid. cap. 2. ſeptem illos Ordines enumeravit, eodemque in Eccleſia ſemper fuiſſe dixit, cap. 3. abſolute definit, Ordinem eſſe ſacramentum, abſque ulla reſtrictione ad maiores Ordines, aut minorum excluſione; unde ſequitur, ſecundùm eius mentem in omnibus, & ſingulis ordinibus, majoribus & minoribus, veram ſacramenti rationem reperiri.

Probatur 2. de ſingulis Ordinibus in particulari. De Presbyteratu quidem, tum ex Conciliis Florent. in decr. Aug. & Trid. ſup. in quibus Presbyteratus tanquam aliolum Ordinum primus, & præcipuus enumeratur, cui proinde ratio ſacramenti præ alijs competere debet; tum etiam ex SS. Patribus, qui Presbyteratum annumerant alijs ſacramentis; vel Ordinationem Presbyterorum expreſſè vocant ſacramentum, ut S. Cypr. ſerm. de ablut. pedum, S. Aug. lib. 1. cont. Donatiſt. cap. 1. & S. Leo epiſt. 81. ad Diſcoſcorum cap. 1.

De Diaconatu ſimiliter probatur, tum ex eo, quòd Conc. Trid. ſeſſ. 23. Can. 6. definivit, *Hierarchiam Eccleſia divina Ordinatione inſtitutam, conſtare ex Episcopis, Presbyteris, & miniſtris*; ubi per miniſtros ſaltem Diaconos intelligit, quorum proinde Ordinem diuinitus inſtitutum eſſe declarat: tum etiam ex ritu quem ſeruat Episcopus Diaconos ordinans, cum ſingulis illorum imponens manus dicit; *Accipe Spiritum Sanctum*; quibus verbis ſe gratiam illis conferre declarat.

Quamuis autem Durand, & Caiet. negauerint, Ordinationem Diaconi eſſe ſacramentum, monet tamen Iſamb. diſp. 2. de Ord. art. 7. ſententiam illorum, licet ante Conc. Trid. ytcunq; probabiliter defendi potuerit poſt illud tamen ſine aliqua cenſuræ nota ſuſtineri amplius non poſſe.

Dices, Diaconos fuiſſe ab Apoſtoliſ inſtitutos, Act. 6. *aque eo ſine, ytpauperum curam gererent, ynde ſequitur. illo-*



illorum Ordinationem non esse Sacramentum, cum Christi institutione non fit.

Resp. verum esse, Diaconos ab Apostolis ordinatos esse; falsum verò Diaconatus Ordinem fuisse ab illis institutum: constat enim ex ipsius Ecclesie traditione docet & probat Isamb. supra, sacramentum Ordinis à Christo Domino in ultima cœna institutum. Quod tem dicitur, Diaconos ab Apostolis ordinatos fuisse pauperum curam gererent, id fuit quidem unum eorum officii, non verò primarium, & præcipuum, ut dicitur idem Isamb. supra art. 8. & plenius constabit ex iis, quæ singulorum Ordinum officii infra dicentur.

De Subdiaconatu denique, & aliis minoribus Ordinibus constat, tum ex autoritate Conc. Trid. supra, etiam ex eo, quòd hæc est plurimorum Doctorum, Theologorum, quàm recentiorum sententia, ut S. Thom. 4. dist. 24. q. 2. a. 1. q. 3. S. Bonav. Rich. Scoti, Palud. Mar. Almaini, Ferrar. Eckii, & aliorum, quos citat, & Valentia quæst. 1. de Sac. Ord. pun. 4. quibus etiam scribit Isamb. disp. 2. de Ord. art. 11.

Nec obstat, quòd tres tantùm majores Ordines dicuntur sacri: non enim sic vocantur, quasi solis illis sacramenti competat; sed quia solis illis votum continentia annexum est, ut docet idem Isamb. disp. 1. de Ord.

Verum est quidem, S. Ignatium Antiochenum epistolam ad Antiochenos supra dictis Ordinibus numerare Cantores, seu Psalmistas, & laboratores, quæ functionum corpora curabant; sed (ut rectè observat Ron. Ad an. 44. prope finem.) non fuerunt hi Ordines, sed officia merè Ecclesiastica: quod aperte etiam potest ex Conc. Carth. 4. cap. 10. ubi dicitur, quòd Presbyter potest absque scientia Episcopi, sola Presbyteri non suscipere canendi officium; & ex consequenti non conferebatur per Ordinationem, seu consecrationem, sed per meram deputationem, seu communionem.

Obiicies, ex doctrina superius explicata constare, fore, plura esse sacramenta quàm septem.

Resp. quòd quamvis singuli Ordines habeant



nem sacramenti, vnum tamen in genere sacramentum simul constituunt; quod sufficit, vt Ordo dicatur vnum genericè sacramentum, quod sub diuersas species continet, vt fufius explicat Bellarm. lib. 1. de sacr. Ord. cap. 8.

Porro fupradictis Ordinibus annumerari meritò debet Epifcopatus, tanquam ipfius Ordinis Sacerdotalis vertex, & fummitas; quod exprefse declarauit Concil. Trid. felf. 23. cap. 4. vbi definit Epifcopos, qui in Apoftolorum locum fucefferunt, ad hunc ordinem Hierarchicum precipue pertinere; & pofitos, ficut ait Apoftolus, à Spiritu Sancto, regere Ecclefiam Dei; eosque Presbyteris superiores effe; ac Sacramentum Confirmationis conferre; ministros Ecclefia ordinare; atque alia pleraque peragere ipfos poffe: quarum functionum potestatem reliqui inferioris Ordinis nullam habent. Cui veritati fuffragantur SS. Patres, qui Epifcopatum vocant Ordinem, vt S. Anacl. epift. 3. cap. 1. S. Caius Epift. ad Felicem Epifc. & S. Ambr. lib. 3. de facram, cap. 1. Neque folùm effe Ordo, fed etiam sacramentum nobiliffimum, & perfectiffimum: quamuis enim nonnulli Theologi olim in dubium reuocauerint, communiter tamen afferunt alij omnes, qui fufè citantur apud Bellarm. lib. 1. de Clericis cap. 5. & Valent. difp. 9. de sacr. Ord. quæft. 1. pu. 2. apud quem videri potefit fufior probatio huius fententia, quam aded certam effe dicit Ifamb. Difp. 2. de Ord. art. 3. vt contrariam tanquam erroneam profus reudiandam exiffimet.

Quòd verò fpectat ad tonsuram Clericalem, quamuis quidam Iuris Canonici Doctores, alijs Ordinibus illam annumerandam effe arbitrentur; communis tamen, & vera Theologorum fententia effe, non effe Ordinem, fed folummodo ceremoniam Ecclefiafticam; ut S. Thom. in 1. dift. 24. q. 3. art. 1. S. Bonav. ibidem, & alij communiter docent: & conftat etiam ex Conc. Trid. felf. 23. decr. de reform. cap. 6. & 10 ubi Tonsura femper ab Ordinibus exprefse distinguitur: & in Catech. Rom Part. 2. cap. 7. dicitur Tonsuram tantummodo effe præparationem quam ad Ordines fufcipiendos, ficut Exorcifmus effe præparatio ad Baptifmum, & fponfalia ad Matrimonium,

Quod



Quod quamvis ita se habeat, certum est nihilominus ceremoniam illam Tonfuræ accipiendæ ab iis, qui in Clero coopantur, & ab ipsis deferendæ, esse antiquissimam & ab ipsis Apostolis derivatam, ut videri potest, apud Baronium lib. 4. hist. Anglorum. cap. 22, & apud Baron. ad annum Christi 58. habeturque de illa speciale decretum Aniceti summi Pontificis in epist. decret. ad Episcopos Galliarum, quo prohibentur Clerici comam nutrire, iubenturque Tonfuram in summitate capitis in modum spiræ gestare; cuius rei hanc ibi rationem redditur: *Quod Clerici discreti debent à laicis in conversatione, sic etiam ab aliis in Tonfura, & in omni habitu discreti esse debent.* Quod etiam plures alii summi Pontifices, & plurima Concilia variis subinde temporibus sanxerunt, & novissimum Conc. Trid. sess. 23. cap. 6. decretum illud renovatum, sicut & in pluribus aliis recentioribus Italiarum, Hispaniarum, Germaniarum, ac præsertim Galliarum nostrarum Conciliis, ut Bituricensi an. 1583. Turonensi eodem anno, Bituricensi 1584. Aquisgranensi an. 1585. Tholosano an. 1590. Burdigalensi an. 1624. &c. ex quibus apparet universam Ecclesiam in novissimis temporibus veluti conspirare voluisse, ad revocandam illam Tonfuræ Clericalis traditionem, & præsertim in communibus suffragiis denuo stabiliendam; unde etiam in quibusdam locis, non sine gravi peccato à Clericis, præsertim majoribus Ordinibus initiatis, aut beneficium aliquod Ecclesiasticum cum obtinentibus, hanc Tonfuræ deferendæ legem contempni, vel neglig. posse, ut infra in appendice peculiariter calcem huius operis fufius explicabitur.

## SECTIO II.

### *Quæ sit materia & forma sacramenti Ordinis*

QVÆSTIONIS propositæ duplex sensus esse potest. Primus, quæ sit materia, & forma sacramenti Ordinis in generali. Secundus, quæ sit specialis materia, & forma mate-



cujuscunque Ordinis in particulari. Pro cujus in utroque sensu resolutione.

Dicendum 1. materiam remotam sacramenti Ordinis in generali, esse rem illam, quæ ab Episcopo traditur illi, qui Ordinem aliquem suscipit; proximam, esse illius rei traditionem: formam denique in verbis illis consistere, quæ ab Episcopo proferuntur modo imperativo, cum expressione potestatis, quæ confertur. Ita Sor. Victor. Bellar. & plures alii, quos citat, & sequitur Bonac. disp. 8. de sacr. Ord. quæst. unica. pu 3. Constatque, tum ex Conc. Carthag. 4. & ex Florent. in decr. Eug. ubi dicitur sacramenti Ordinis materiam esse illud, per cuius traditionem confertur Ordo; formam verò esse verba ab ipso Episcopo in ejusmodi traditione prolata: tum ex iis, quæ de materia & forma singulorum Ordinum in particulari dicuntur.

Dicendum 2. materiam Ordinationis Ostiarii esse traditionem Clavium per Episcopum factam: Lectoris, traditionem Codicis, de quo ordinandi legere debent: Exorcista, traditionem libri exorcismorum; Acolyti, traditionem ceroterarii, & urceoli vacui. Formam verò esse verba cuique materiæ correspondentia, quæ ab Episcopo, dum ejusmodi instrumenta ordinandis tradit, proferuntur; quæ quidem habentur in Pontificali. Ita citati Doctores apud Bonac. supra. Et constat, tum ex præfato Conc. Carthag. 4. can. 6, 7, 8, & 9. & Florent. in decr. Eug. tum ex Catech. Rom. part. 2, cap. 7. ubi hæc omnia distinctè explicantur.

Dicendum 3. duplicem esse materiam partialem, duplicemque formam Subdiaconatus, Diaconatus, & Presbyteratus. Prior materia partialis Subdiaconatus est traditio calicis vacui, cum patena vacua, cui partialis hæc forma respondet: *Videte, cujusmodi ministerium vobis traditur: potestatem* ejusdem materia partialis est traditio libri Epistolarum, cui respondet hæc altera partialis forma: *Accipe librum Epistolarum, & habes potestatem legendi eas in Ecclesia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis.* Similiter prior partialis materia Diaconatus est manuum Episcopi impositio.

M

que



quæ sit super ordinandum ; forma ei correspondens hinc partialis  
 hæc verba : *Accipe Spiritum sanctum ad robur , ad resistendum diabolo & tentationibus ejus, in nomine Domini* : posterior partialis materia est traditio libri Evangeliorum ; consecratio  
 ei respondens : *Accipe potestatem legendi Evangelia in nomine Domini* ; forma ei respondens : *Accipe potestatem legendi Evangelia in nomine Domini* ; forma  
 Ecclesia Dei, tam pro vivis, quam pro defunctis, in nomine Domini ; forma  
 mini. Denique prior partialis materia Presbyteratus traditio est tra-  
 ditio calicis cum vino, & patenæ cum pane super caput Vasque  
 to ; forma correspondens sunt hæc verba : *Accipe potestatem offerendi Sacrificium Deo, Missæ scilicet celebrandi, tam pro vivis quam pro defunctis, in nomine Domini* : posterior partialis materia est imposi-  
 tio manuum Episcopi super eum ; forma ei respondens hæc verba : *Accipe Spiritum sanctum, quorum remissionem non habent, ut remittentur eis ; & quorum retinueris, retenta erunt in terra*

Hæc autem doctrina circa prædictorum Ordinum materia-  
 teriam, & formam desumpta est, tum ex cit. Concilio Isamb. art.  
 thag. & Florent, tum etiam ex Pontificali & Catech. Cæterum  
 ubi hæc omnia fusè declarata habentur : pro cuius materiam  
 firmatione non requiritur alia probatio, quam ipsa curre, o-  
 clesia authoritas. Quamvis autem non planè contra Ord. credi-  
 ter Theologos, utrum Subdiaconatus, & Diaconatus materiam Or-  
 diaconatus, & forma sit duplex ( de presbyteratu enim generati-  
 onem illorum, qui duplicem illam materiam, & formam pote-  
 est ambigendi locus ) quibusdam hanc, aliis illam materiam su-  
 quam solam, & sufficientem assignantibus ; sententiam in stru-  
 mentum illorum, qui duplicem illam materiam, & formam pote-  
 partialem in utroque illo Ordine agnoscunt, videtur traditio  
 non solum probabilior, ob rationes quæ apud Isamb. art. Isamb.  
 3. art. 2. & 3. videri possunt ; sed etiam in praxi tenentur præcepti,  
 cum in iis, quæ ad Sacramentum validitatem spectant, ordinem  
 tior semper pars amplectenda sit.

Dicendum 4. triplicem esse materiam partialem : quo-  
 copatus ; triplicem item formam partialem. Prima materia Cle-  
 materia partialis, est, impositio manuum a tribus Episcopis, & forma  
 pis facta super caput illius, qui in Episcopum ordinatur tunc t-  
 forma ei correspondens sunt hæc verba, ab illis tribus Episcopis  
 mul prolata : *Accipe Spiritum sanctum &c.* Secunda materia ordi-  
 natus, est, traditio libri Evangeliorum ; forma ei respondens hæc  
 verba : *Accipe potestatem legendi Evangelia in nomine Domini*



... materia partialis est unctio capitis, & manuum ipsius electi in  
 ... Episcopum facta per consecratorem Episcopum; forma ei  
 ... correspondens sunt verba, quæ in ipsa unctioe ab Episcopo  
 ... consecratore proferuntur. Tertia denique partialis mate-  
 ... ria est traditio Baculi Pastoralis, anuli, & libri Evangelio-  
 ... rum; forma ei respondens sunt verba, quæ in ipsa tradi-  
 ... tione consecrator Episcopus profert.

Vasquezius dif. 240. cap. 5. quidem cum quibusdam ali-  
 ... Theologis, quos citat, existimat, materiam Episcopalis  
 ... Ordinationis consistere in sola manuum impositione à  
 ... patribus Episcopis facta; formam item in solis verbis, quæ  
 ... ab illis proferuntur; observatque paucos admodum  
 ... Theologos scripsisse de materia, & forma Episcopalis or-  
 ... dinationis: nihilominus probabilior est, & in praxi te-  
 ... nenda sententia in assertione nostra explicata, ob varias  
 ... auctoritates, & argumenta, quibus fuse illam propugnat  
 ... art. 4. quæ apud illum videri possunt.

Cæterum ad solvendas plures difficultates, quæ circa  
 ... materias illas, & formas singulorum ordinum possent oc-  
 ... currere, observandum est id quod docet Bellarm. cap. 9. de  
 ... Ord. credibile esse, Christum Dominum istas omnes ma-  
 ... terias Ordinum instituisse, non quidem in particulari, sed  
 ... generatim, præcipienoo Apostolis, & per illos Episcopis  
 ... orum successoribus, ut Ordines conferrent per traditio-  
 ... nem instrumentorum illorum, quibus significaretur eo-  
 ... rum potestas, & verbis conceptis eandem illam potesta-  
 ... tem traditionem exprimerent: quod etiam pluribus pro-  
 ... bat Isamb. art. 6. idemque art. 8. recte monet, non solum  
 ... concepti, sed etiam Sacramenti necessitate requiri, ut quæ  
 ... ordinem aliquem suscipiunt. (quod maxime notandum  
 ... illius materiam ab Episcopo porrectam physicè tan-  
 ... ant: quod variis argumentis probat, ac præsertim autho-  
 ... ritate Clementis VIII. summi Pontificis, qui speciali di-  
 ... plomate decrevit, reordinari saltem sub conditione eos,  
 ... tunc temporis fuerant ab Episcopo Sagiensi ordinati,  
 ... quod nec Episcopus ille per se ipsum tradidisset instru-  
 ... menta ordinandis, nec Ordinandi physicè instrumenta il-  
 ... tetigissent.

M 2

SEC 3



## SECTIO III.

*Quis Sacramentum Ordinis conferre, quis item  
suscipere possit.*

CERTVM est ex fide, ordinarium hujus Sacramenti ministrum esse, solum Episcopum, ut constat ex Concilio Florentino, in decretis Eugenii & Tridentini, sess. 23. cap. 4. & etiam ex perpetua Ecclesie traditione manifestum est, ut ex variis Conciliorum & SS. Patrum testimoniis probat Bellarmus, cap. de Ord. sed difficultas est, utrum omnis, & quilibet Episcopus possit valide ordinare; item, utrum ex communi summi Pontificis possit aliquis alius ab Episcopo conferre Ordines. Pro cuius resolutione.

Dicendum 1. quemlibet Episcopum, etiam hereticum aut degradatum Ordines valide conferre posse, dummodo materiam, & formam legitimam cum debita intentione adhibeat. Ita S. Thom. in dist. 25. q. 1. a. 2. S. Bonaventura art. 1. q. 2. Scot. Rich. Durand. Palud. & alii communi eandem distinctionem. Ratio est, quia potestas ordinandi pendet fundamentaliter, & essentialiter à characteri Episcopali, sicut potestas consecrandi pendet à characteri Sacerdotali; cum ipsa Ordinatio fiat per modum ipsius consecrationis, character autem ille æque in Episcopis, ac in Sacerdotibus est indelebilis.

Neque obstat cap. Nullum, 9. quæst. 2. in quo varietas inania dicuntur omnia, quæ gesserat Episcopus, si Ordines aliquas in aliena Diocesi, & super alienum exercens: hæc enim (ut rectè observat, & probat disp. 6. art. 1.) intelligenda sunt, non de sacra Ordinis, sed de aliis, ad Ecclesiasticam disciplinam spectantibus, unde etiam in Conc. Trid. sess. 14. cap. 2. & sess. 23. non dicitur, esse reordinandus ille, qui ab alieno Episcopo sine proprii licentia Ordines accepit; sed tantum dicitur, ut à susceptorum Ordinum executione,



diu proprio Ordinario videbitur expedire, sit suspensus.

Quamvis autem valida sit Ordinatio ab Episcopo alieno, vel etiam hæretico, aut degradato facta, est tamen illicita; ut enim Episcopus non modò valide, sed etiam licite Ordines conferat, non nisi subditis suis illos conferre debet, aut alienis ex licentia proprii Episcopi; & insuper ab omni censura, & impedimento canonico debet esse immunis, concedit tamen idem Conc. sess. 23. cap. 9. ut Episcopus familiarem suum, seu domesticum, licet sibi non subditum, ordinare possit; dummodo fuerit cum eo per triennium commoratus.

Dicendum 2. ex dispensatione summi Pontificis, simplicem Sacerdotem conferre posse quatuor minores Ordines, Subdiaconatum, & Diaconatum. De minoribus constat ex eo, quòd Abbates regulares possint ex concessione summi Pontificis, Tonfuram, & quatuor minores Ordines regularibus sibi subditis conferre, ut habetur ex cap. *Quoniam*, dist. 69. & cap. *Cum contingat*, extra de pæte & qualitatibus Ordinand & etiam ex Conc. Trid. sess. 23. cap. 10. de reform. De Diaconatu & Subdiaconatu similiter constat ex privilegio per Innocentium VIII. anno Domini 1488. Abbatibus Cistercii concessio, ut quibuscunque Monachis sui Ordinis Subdiaconatum, & Diaconatum conferre possent.

De Presbyteratu verò, cum nullum extet similis privilegii exemplum, nec ulli simplici Sacerdoti, quamvis in eminentissima dignitate constituto, summus Pontifex unquam concesserit facultatem ordinandi Sacerdotes, inde merito inferitur, ejusmodi facultatem ita soli Episcopo competere, ut nullis aliis delegari, aut committi possit.

Quod autem spectat ad Episcopatum; quamvis jure communi tres Episcopi ad ordinandum, seu consecrandum Episcopum requirantur, ut habetur ex Pontificali Romano, & variis argumentis probat Isamb. disp. 6. art. 1. potest tamen summus Pontifex dispensare, ut unus Episcopus solum Episcopum ordinare solus possit; quod probari solet ex facto S. Gregorii Papæ, qui cum Augustino Episcopo



in Angliam misso dispensavit, ut, quando ibi solus est  
Episcopus, solus etiam possit alios Episcopos ordinare  
donec plures essent, qui cum illo Episcopalem ordinati-  
onem facerent.

Dicendum 3. divino jure omnem, & solum masculinum  
baptizatum, sacre Ordinationis esse capax. Ita S. The-  
ophylactus in 4. dist. 25. q. 2. a. 1. est que de fide contra Collyridianam  
& Cataphrigas hæreticos, qui mulieres sacris Ordinibus  
initiabant, ut testatur S. Epiphanius hæresi 79. & probatur  
ex Apostolo 1. Timoth. 2. ubi prohibet, mulierem doceri  
nari in virum: & 1. Corinth. 14. jubet esse subditam, & non  
permittere ei in Ecclesia loqui, vel docere: qui vero ad  
Ordines promoventur, accipiunt præminentiam, & potestatem  
in alios: & cap. *Nova quædam*, de poenitentia & remissione  
peccatorum, mulierem sacre Ordinationis esse adeo incapax  
ut nequidem sanctissimæ Virgini Deiparæ (quæ tamen  
universis Apostolis longè dignior, & eminentior fuit)  
Ordines regni cælorum tradita fuerint.

Obiicitur, ex antiquis canonibus constare, mulieres  
quasdam olim ordinatas fuisse Presbyteras, Diaconissas,  
& Ostitiaras, &c.

Resp. Diaconissas, & Ostitiaras non fuisse ullo Ordine  
insignitas; sed tantum deputatas ad quædam officia,  
munia exteriora, præsertim erga alias mulieres obedi-  
entias Presbyteras verò fuisse, vel viduas longè aliis senioribus  
ætatem sic dictas, ut patet ex cap. *Mulieres*, dist. 3. 2. re-  
vocatas fuisse, mulieres conjugatas, quarum mariti  
Presbyteratum, seu Sacerdotium promoti fuerant, & tamen  
tamen in perpetua continentia cælibes permanebant, & tamen  
eunt etiam illæ, quarum conjuges ad Episcopalem Ordinem  
electedi fuerant, quæ tamen similiter in perpetua continen-  
tia vivebant, dicebantur Episcopæ, ut patet ex Canonibus  
Turon. cap. 20. & Altisiodorensi can. 21.

Dicendum 4. ut quis licet Ordines suscipiat, recipere  
primis, ut nulla læthali culpa sit inquinatus: Quæ  
loquitur Catech. Rom. ) mortiferi alicujus peccati  
scilicet iniuriæ se curaret, vel etiam pateretur, non se, &c.



no scelere obstringeret: quare ibidem monet, ut, qui sacris  
mittendi sunt, prius Pœnitentiæ Sacramento conscientiam  
purgare diligenter studeant.

Præterea requiritur, ut nullo Censuræ vinculo innoda-  
tus, nulla etiam irregularitate impeditus sit: quod infra  
suo loco explicabitur. Item, ut legitimo tempore, & ido-  
nea ætate ordinetur, habeatque alias qualitates, seu dis-  
positiones jure divino, vel Ecclesiastico præscriptas.

Atque in primis, quod spectat ad tempus, prima Ton-  
sura Clericalis quacunque die, & hora conferri potest, ut  
habetur in Pontificali Romano. Quatuor minores Ordi-  
nes, quando seorsim à majoribus conferuntur, in Domi-  
nicis tantum, & festivis diebus, idque manè, ut ibidem  
præscribitur: tres verò majores Ordines, non nisi in Sab-  
batis quatuor temporum, & in Sabbato ante Dominicam  
Resurrectionis, ut constat ex universali Ecclesiæ praxi, &  
habetur cap. De eo, de temporibus Ordinatur. & cap. ult.  
dist. 75. Ordinatio verò Episcopi non nisi die Dominica  
fieri debet, idque ex antiqua Ecclesiæ consuetudine, ut  
docet S. Leo epist. 79. ad Dioscorum cap. 1. & habetur cap.  
Quod die, dist. 75.

Ad legitimum tempus Ordinationis pertinet etiam ob-  
servatio interstitorum; id est, ut post aliquem Ordinem  
susceptum, non nisi anno elapso superior ordo conferatur:  
quod non solum in majoribus Ordinibus, sed etiam in  
minoribus locum habere testantur Nav. Regin. Menoch.  
& alii apud Bonac. Disp. 8. de Ord. q. vn. pu. 7. potest tamen  
Episcopus in illis temporum interstitiis ex causa rationa-  
bili dispensare & omnes etiam minores Ordines simul, &  
eodem die conferre; non verò duos majores, neque et-  
iam ipsos minores simul cum aliquo minori; nisi forte ex  
aliqua particulari consuetudine minores Ordines cum  
Subdiaconatu eodem die conferri soleant: quam quidem  
consuetudinem damnari non debere asserunt S. Anton.  
Henri. Nav. & alii apud Laym. c. 8. de Ord. cum à Conc.  
Trid. damnata non fuerit.



Quod verò spectat ad ætatem, Conc. Trid. sess. 23. cap. 12. de refor. decrevit, *Ut nullus in posterum ad Subdiaconatum Ordinem ante vigesimum secundum, ad Diaconatum ante vigesimum tertium, ad Presbyteratus ante vigesimum quintum ætatis sue annum promoveatur*: quod tamen intelligendum esse de annis inchoatis, constat tum ex Bulla Pii II. quæ refert Quaranta verbo, *Ordinatio*; tum ex communi Ecclesiæ praxi. Ad Episcopatum verò requiruntur juxta veteri antiqui dispositionem triginta annorum completi, ut habetur cap. *Cum in cunctis* de Ereptione. Ad Tonfuram denique, & minores Ordines nulla in Conc. Trid. certa præscribitur ætas, sed id Episcopi judicio relinquitur; dummodo nomen servetur constitutio Bonifacii VIII. cap. *Nullus*, de reperiendis Ordinibus in 6. ubi prohibitum est, ne Clericali Tonfura infanti, id est minori septem annis (ut explicatur glossa) conferatur, Certè ex dispositionibus illis quæ ad Clericatum, aut minores Ordines Concilium exigit, quibus agetur sectæ seq. Satis aperte colligitur, secundum mentem Concilii requiri ætatem, non modò rationis, sed etiam paulò maturioris judicii capacem.

#### SECTIO IV.

*Quenam qualitates, seu dispositiones requirantur in illis, qui ad Ordines sunt promovendi.*

**V**T nihil nisi certum, & ab Ecclesia non modò probatum, aut prioribus sæculis usitatum; sed etiam tempore præsentis præscriptum, proindeque ab omnibus servandum proponamus, ipsius Conc. Trid. decreta paulò fusius, attexemus; ut ex iis attentè consideratis, ac pensatis, quivis intelligat, quæ sit Ecclesiæ mens, quod valeat per hoc Ordinationis sacræ negotio consilium.



Atque in primis quod spectat ad primam Tonsuram, sic de illa Conc. Sess. 23. cap. 4. de refor. loquitur; *Primam Tonsuram non initientur, qui Sacramentum Confirmationis non susceperit, & fidei rudimenta edocti non fuerint; quiq; legere, & scribere nesciant; & de quibus probabilis conjectura non sit, eos non secularis iudicii fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vite genus elegerit*: quibus verbis quatuor dispositiones requirit in eo, qui Clericali militiæ cupit ascribi. Prima est, ut sacramentum Confirmationis jam receperit: quod quidem tam strictè præceptum esse docet Bonac. Disp. 8. de Ord. q. un. pu. 5. ut existimet, eum peccare mortaliter, qui Tonsura Clericali ante susceptum Confirmationis sacramentum initiatus fuerit. Secunda est, ut fidei rudimenta fuerit edoctus; id est, ut non modò catechismum memoriter didicerit (quod pueris familiare est) sed præsertim, ut ipsius doctrinæ Christianæ sensum perceperit; ita ut de præcipuis eius mysteriis interrogatus, aptè respondere possit. Tertia, ut legere ac scribere sciat. Quarta denique, ut non alicujus temporalis commodi causâ, sed solummodo, ut *Deo fidelem cultum præstet, hoc vite genus elegerit*: quæ verba maximè perpendi debent: illis siquidem declarat Ecclesia in eo, qui Tonsuram Clericalem suscepturus est, prærequiri, ut attentè consideret, quale sit illud vitæ Clericalis genus, quod amplecti cupit: neque aliena inductione, aut præcipitanter, sed spontè & præmissa matura deliberatione, adhibitoq; (quod maximè conducit) viri alicujus pii, & prudentis consilio illud eligat, non ullo humano respectu, neque beneficii alicujus captandi gratia, aut commodius vivendi spe, sed fidelis, & sinceri obsequii Deo præstandi causa unice ad id inductus; de quibus omnibus, & singulis ad primam Tonsuram initiandos seriò examinari debere, constituit S. Carolus Borromæus in Conc. 4. Mediolan. tit. de iis, quæ pertinent ad sacras Ordinationes.

De Minoribus autem Ordinibus Conc. Trid. ita edixit Sess. 23. cap. 11. de ref. *Minores Ordines iis, qui saltem linguam Latinam intelligant, per temporum interstitia (nisi aliud Episcopo expedire magis videretur) conferantur; ut eo accurratis,*

M 5

quan-



quantum sit hujus disciplina pondus, possint edoceri, ac in uno quoque munere, juxta præscriptum Episcopi se exerceant; id in ea, cui ascripti erunt, Ecclesia; nisi forte ex causa studiorum absint; atque ita de gradu in gradum ascendant; ut eis cum aetate vita meritum, & doctrina major accretur, quod & bonorum morum exemplum, & assiduum in Ecclesie ministerium, atque major erga Presbyteros, & superiores, Ordines reverentia, & crebrior, quam antea, corporis Christi Communio maximè comprobabunt. Quibus verbis sex præsertim dispositiones exigit in iis, qui ad minores Ordines promoventur. Prima est, ut saltem linguam Latinam intelligant. Secunda, ut accuratè edoceantur, quæ sit illorum Ordinum ratio, & quæ singulorum propriæ functiones. Tertia, ut alicui Ecclesie ascribantur, ibique in suscipiendi Ordinis munere iuxta Episcopi præscriptum se exerceant, antequam ad altiore gradum evehantur. Quarta, ut Presbyteris, aliisque superioribus Ecclesiasticis, & potius adhuc ratione ipsi Episcopo reverentiam, & observantiam debitam exhibeant. Quinta, ut modestia, & bonorum morum exemplo cæteris præfulgeant. Sexta denique, ut ad sacram corporis Christi Communionem frequenter accedant, adeoque, ut vitam ducant tanti sacramenti beneficii susceptione dignam. De quibus testimonium Parocho, & scholæ magistro habere debent, ut ab eodem Concilio præscribitur. Eiusd. sess. cap. 5.

Iam quod spectat ad Subdiaconatum, Diaconatum, & Presbyteratum, Concilium in primis declarat Cap. 12. ad Ordines illos assumi debere. *Dignos duntaxat, & quorum probata vita senectus sit:* subiungit deinde cap. 13. Subdiaconos, & Diaconos Ordinandos esse habentes bonum testimonium, & in minoribus Ordinibus iam probatos, ac longioris, & iis, quæ ad Ordinem exercendum pertinent, instructioris, qui sperent, Deo auctore, se continere posse; Ecclesie, quibus ascribentur, inserviant; sciantque maxime decere, si sabbatis diebus Dominicis, & solemnibus, cum altari ministraverint, aram communionem perceperint. Demum de Presbyteratu loquitur Cap. 14. *Qui piè & fideliter in ministeriis*



ad his se gesserint, & ad Presbyteratus Ordinem assumantur, bonum habeant testimonium: & hi sint, qui non modo in Diaconatu ad minus annum integrum, nisi ob Ecclesie utilitatem, ac necessitatem aliud Episcopo videretur, ministraverint; sed etiam ad populum docendum ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, ac ad ministranda sacramenta, diligenti examine procedente, idonei comprobentur: atque ita pietate, ac castis moribus conspicui, ut praeclarum bonorum operum exemplum, & vitae monita ab eis possint expectari.

Ex qua Concilii doctrina intelligitur, sex praesertim dispositiones in illis requiri, qui ad sacros illos Ordines promoveri cupiunt. Prima est, ut probata fuerit, & exemplaris eorum vita, idque testimonio fide digno constet. Secunda, ut in susceptis ordinibus debite ministraverint, & in suscipiendis ministrare, ac inservire ex animo velint, praesertim in ea Ecclesia, cui vel ratione beneficii, quod obtinent, vel ex Episcopi praescripto fuerint ascripti. Tertia, ut erga sacram Eucharistiam impense affecti illius participationem frequenter, ac saltem diebus Dominicis, ac solemnibus expetiverint. Quarta, ut tales sint, qui Deo bene juvante perpetuam, & illibatam castitatem tam corporis, quam animi servare se posse sperent. Quinta, ut probe noverint ea, quae ad susceptorum Ordinum functiones apte, ac debite exercendas pertinent, v.g. ceremonias, cantum Ecclesiasticum, officii divini recitandi ordinem, &c. Sexta denique, ut ea scientia polleant, ii praesertim, qui ad Presbyteratum promovendi sunt, quae ipsis sufficiat, tum ad sacramenta debite administranda, tum ad populum docendum ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem: unde manifestum est plerosque decipi, existimantes sufficere simpliciter (ut loquuntur) sacerdoti, qui neque curam animarum suscipere; neque divinum verbum praedicare, neque audiendis confessionibus, aut aliis sacramentis administrandis vacare intendit; si linguam Latinam utcumque intelligat, & ea quae ad Missam celebrandam officiumque divinum recitandum spectant, didicerit; cum tamen Consilium absolute nullos ad sacerdotium velit promoveri, nisi qui ad populum docendum ea, quae scire omnibus necessarium est



ad salutem, & administranda sacramenta idonei comprobentur. Esto enim, numquam velit sacerdos ille sacramentum ullum ministrare, aut fidei Christianæ rudimentum neminem imbuere, sicque non vereatur talentum per sacram Ordinationem acceptum in terram defodere, (de quo quid coram supremo iudice respondeat ipse videtur) certè variæ occasiones non infrequenter occurrere possunt, in quibus urgente aliqua necessitate, vel puerum, aut quemvis alium de præcipuis fidei mysteriis erudire, vel Baptismum infanti de vita periclitanti ministrare, aut absolutionem sacramentalem alicui subitanea ægritudine, aut alio repentino casu, in extremis vitæ constituto conferre tenebitur, quando nullus alius sacerdos ad vocari poterit: quid tunc ille doctrinæ fidei, & disciplinæ sacramentalis inscius, acturus est? in quas angustias redactum se deprehendit? quando dubius & anceps animi, fortassis absolutionem sacramentalem indigno, & indислоposito sacro legè impertietur, vel denegabit ei, quem absolueri debet; sicque illum manifesto æternæ salutis amittenda periculo exponet.

Porro de iis omnibus diligens examen ab Episcopo mittendum esse, decrevit Concilium; ne manus cito, minusque considerate aliis imponens, ipsorum peccata communicet. Hujus quidem examinis forma exactissima à S. Carolo Borromæo in praxim redacta videri potest in Conc. s. Mediol. ubi plurima reperientur, quæ suprà relictis Concilii Trid. decretis majorem adhuc afferentia cern.

Suprà dictis dispositionibus ad sacros Ordines requisitis, addenda est adhuc una, quæ non aliis, quam ipsius Concilij verbis melius, aut efficacius exprimi potest: sic legitur Concilium. Sess. 22. cap. 2. de ref. *Cum non deceat qui divino ministerio ascripti sunt, cum Ordinis dedecore, aut didum aliquem quæstum exercere, compertumque sit, complerisq; in locis ad sacros Ordines nullo ferè delectu admittis; qui variis artibus, ac fallaciis consingunt, se beneficiis Ecclesiasticis, aut etiam facultates idoneas obtinere: statuit sancta Synodus, ut qui dicitur*



deinceps Clericus secularis, quamvis aliàs sit idoneus moribus, scientia, & aetate, ad sacros Ordines promoveatur, nisi prius legitime constet, eum beneficium Ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficiat, pacificè possidere. Id verò beneficium resignare non possit, nisi facta mentione, quod ad illius beneficii titulum sit promotus, neque ea resignatio admittatur, nisi constitio, quod aliunde commodè vivere possit: & aliter facta resignatio nulla sit. Patrimonium verò, vel pensionem obtinentes ordinari posthac non possint, nisi illi, quos Episcopus iudicaverit assumendos pro necessitate, vel commoditate Ecclesiarum suarum; eo quoque prius perspecto, patrimonium illud, vel pensionem verè ab eis obtineri, taliaque esse, quæ eis ad vitam sustentandam satis sint; atque illa deinceps sine licentia Episcopi alienari, aut extinguì, vel remitti nullatenus possint; donec beneficium Ecclesiasticum sufficiens sint adepti; vel aliunde habeant, unde vivere possint: antiquorum canonum pœnas super his innovando. Ex hoc autem Concilij decreto colligi potest, quàm graviter peccent illi, qui ficto interdum, & ementito patrimonii titulo, se Ordinibus sacris ingerunt; aut stipulationes aliquas de retrocedendo titulo illo, aut fructibus eius nunquam exigendis, contra Concilij mentem faciunt, nec verentur Spiritui sancto mentiri: qui haud dubiè maledictionem pro benedictione expectare debent, ac meritò formidare, ne tam indigna, & sacrilega tanti Sacramenti susceptio ipsis in animæ perniciem æternamque ruinam vertatur.

## SECTIO V.

*Quinam sint hujus Sacramenti effectus.*

**D**ICENDVM 1. per dignam cujusque Ordinis majoris, vel minoris susceptionem conferri gratiam, tum sanctificantem (quod omnibus sacramentis comune est, ut ex antè dictis constat) tum specialem, & cuiusque Ordinis propriam; id est, ius quoddam ad accipienda specialia quædam auxilia, proportionata functionibus, & officiis uniuscui-



uscujusque illorum Ordinum propriis, per quæ is, qui Ordine aliquo initiatus est, peculiari modo juvatur, & idoneus efficitur ad officia illa debite exercenda: quæ quidem auxilia, non solum tunc cum Ordo suscipitur, sed præsertim, quoties susceptus Ordo exercendus est, ipsi ordinato speciali Dei providentia conferuntur, ut fultius explicat & probat Isamb. ditp. 4 de Ord. art. 1.

Dicendum 2. per Sacramentum Ordinis imprimi characterem indelebilem, proindeque ordinationem iterum non posse: quod expresse definitum est in Conc. Trid. sess. 23. can. 4. unde, quando contingit propter quendam crimina ordinatorum interdum deponi, vel degradari, non auferitur ab eis character Ordinis, sed tantum gradus, honor, & locus Ordini debitus; ita ut quoad hunc gradum, honorem, & locum cum laicis reputentur.

Dicendum 3. per Ordinum susceptionem conferri quoddam ad sacras aliquas, & religiosas functiones cujusque Ordinis proprias legitime exercendas; cum eo præsertim sine unusquisque Ordo conferatur, ut patet tum ex verbis formæ cujusque Ordinis propriæ, tum ex aliis monitis, quæ ab Episcopo ad ipsos ordinandos dantur.

Quæres, quanam sint functiones illæ cujusque Ordinis propriæ. Resp. præcipuas has esse, prout ex Pontificali Catech. Rom. habetur.

*Ostiariorum* functiones propriæ sunt, templi, & sacrorum claves, ac ianuam custodire, & aditu templi arcere eos quibus ingredi veritum est: item curare, ne quis, dum sanctissimum Missæ sacrificium peragitur, proprius quantum par est, ad sacram aram accedat, aut Sacerdotem remota vinam facientem interpellat: campanas etiam pulsare, & libram aperire ei, qui prædicat. Magnam autem olim in Ecclesia hujus Ordinis (licet inter omnes Ordines ministerii) dignitatem fuisse, vel ex eo colligitur (ut rectè observat Catech. Rom. cap. 7.) quod nunc etiam Thesaurarius officium, qui sacrarii custos est, proindeque ad ostiariatum Ordinem propriè pertinet, inter honestiora Ecclesiæ ministeria recensetur.



*Lectorum* officium est, in Ecclesia novi, & veteris Testamenti libros clara, & distincta voce recitare, præsertim eos, qui inter nocturnam psalmodiam legi solent: item prima Christianæ religionis rudimenta fidelibus tradere, nec non panem, & fructus novos benedicere.

*Ad Exorcistas* pertinet, imponere manus energumenis, seu iis, qui ab immundis spiritibus obsidentur; & ab ipsis corporibus obsessis per Exorcismi verba spiritus immundos depellere: item à communionem indignos excludere; nec non aquam ad ministerium Baptismi requisitam Sacerdoti ministrare.

*Acolytorum* partes sunt, Subdiaconum, & Diaconum in altaris ministerio affectari, eisque inservire; vinum, & aquam ipsis ad Eucharistiam porrigere; luminaria Ecclesiæ accendere, eademque accensa, cum Missæ sacrificium celebrandum est, ac præsertim cum Evangelium legitur, deferre.

*Subdiaconorum* munus est, ut nomen ipsum declarat, Diacono ad altare inservire; sacra item linteamina, id est, corporalia & pallas altaris, abluere; panem & vinum aliaque ad sacrificii usum necessaria præparare; aquam Sacerdoti manus in altari abluenti præbere; Epistolam alta voce in Missa legere; & Sacerdoti sacris operanti tanquam testem assistere, illumque custodire, ne à quoquam inturbatur possit.

*Ad Diaconos* spectat, Sacerdoti celebranti proximè ministrare in ipso Missæ sacrificio Evangelium publice legere: item ex commissione superiorum Baptismi Sacramentum conferre, verbumque divinum fidelibus prædicare; est etiam illorum, vi ordinationis suæ Episcopum sequi, quando id ab illis exigit; cum concionantem, aut celebrantem custodire; & instar oculorum eius peruestigare, num omnia in urbe vel diocesi rectè se habeant; & si quæ secus deprehenderit, de his Episcopum commonefacere: quod hodie ad Archidiaconos præsertim devolutum est.

Sacerdos-



Sacerdotum denique functiones propriæ sunt, sanctissimum Missæ sacrificium offerre; Baptismum, aliaque Sacramenta (si Confirmatio, & Ordo excipiantur) conferre; verbum divinum prædicare; & alia omnia ad salutem animarum cultumque divinum spectantia, quæ Episcopo jure divino, aut Ecclesiastico minimè reservantur, secundum Ecclesiasticas leges peragere.

Quod autem spectat ad Episcopos, nostræ tenuitatis non est, verticem illum Ecclesiasticæ dignitatis attingere: sufficiat hic nobis cum debita reverentia suspicere culmen illud, & munus ipsis etiam humeris Angelicis formidandum, illosque, ut Clerici, ac populi Patres, & Pastores debita observantia prosequi: ipsorum est, si libuerit, in sacris scripturarum Conciliorumque codicibus, quid Spiritus sanctus ad optimum Ecclesiarum regimen ab ipsis exigat perquirere: ac præsertim in Conc. Trid. sess. 2. in decret. modo vivendi, item sess. 5. cap. 1. & 2. de ref. sess. 6. cap. 1. & 2. de ref. sess. 13. cap. 1. de ref. sess. 22. in decret. de observandis & vitandis in celebr. Missæ: sess. 23. cap. 1. 2. 3. 4. 5. de ref. sess. 24. cap. 3. & 4. de ref. sess. 25. cap. 5. 2. 3. & c.

Nec illud omittendum, quod habetur sess. 23. cap. 1. de ref. ubi Concilium varias Ordinum Ecclesiasticorum functiones pluribus in locis intermissas esse, & in delibetudinem abiisse conqueritur, Hortaturque omnes, & singulos Prælatos Ecclesiarum, & illi præcipit, ut, quantum fieri poterit, in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, & Parochialibus suæ diœcesis, si populus frequens, & Ecclesia proventus id ferre queant, hujusmodi functiones curent restituendas, & c.

∞∞∞  
∞∞

888

M

Dicitur  
fertur  
re, par  
etiam  
eodem  
ra Mar  
nomin  
Abrah  
operir  
pudor

Est  
ratum  
legiti  
ctum e  
& etia  
tum in  
menti  
tem a  
cti in

CAP